ad quiescendum descendens, Montium innixa radicibus, quorum a tergo contra sævorum Septentrionum adflatum vallo munitur, non tota montosa, nec vicissim tota plana, sed mixta specie. Circuitu palmos colligere tricena quina millia, supra nongentos quinquaginta quinque, Nebianus Episcopus tradit. Palmus haud multo minor antiquorum est pede. Hinc mensura totius urbis si palmos septenos passui demus, milliariorum erit quinque, sin senos, sex, demptis quadraginta quinque palmis, nec moles, nec portus in hanc dimensionem venit. Insignem Portum habet ad Austrum & Africum patentem, ingenti mole ad securam stationem prænunitum. Cætetum de Genua politissimi & rotundi exstant Scaligeri versus.

Ditis opes Asiæ, & claros Orientis honores
Quantaque ab Euxino tunditur ora salo,
Pisanas acies, Thuscæ decora inclyta Pubis
Et traxi ad Ligures Gallica signa manus.
Subjectis domitas tenui cervicibus Alpes,
Et tremuit nostras Africa terra trabes.
Afflictus toties Venetus, quæ fugerat olim
In patriis movit tela petitus aquis.
Frustra Galle cupis: frustra es frustrator Ibere,
Frustra sæva ferox Insuber arma capis,
Vinco ego, cum vincor, par est Victoria damno,
Sumque eadem domina servaque facta mea.

Metropoli visa, reliquarum Vrbium nonnullas & Opida indicabo. Haud procul Varo *Nicæa* est Ptol. *Nicia* Antonino, *Nizza* hodie. Vrbs maritima, quomdam ab Massiliensibus condita, dorso Alpibus innitens, partim in juga, partim in planiciem porrecta. Nunc est munitissima, firmam habens Arcem in colle, ditionis Sabaudiæ Principis. Supra Portum Herculis Monœci ad alterum lapidem editis in montibus *Torbia* jacet, vel *Turbias*. Sunt & *D. Remi* Opidum, *S. Remo*, peramœno & fertili agro, qui Citris, Palmis, Medicis, Limonibus, aliisque fructiferis Arboribus mirum in modum ornatus. *Castellum Tabia*: ambitu exiguo, sed nomine celeberrimum, ob generositatem Vinorum Apianorum. *Albingaunum*, Vrbs antiqua, situ plano, quingentis a mari passibus, gravioris Cœli, alioqui opulenta rebusque necessariis adfluens. *Finarium* item, *Naulum*. *Savona* urbs antiquissima, ædificiis ornata magnificis, cujus ambitus est CIƆIƆ passuum. Atque hæc sunt in ora Genuensi Occidentali. In Orientali sunt: *Claverium*, *Sestri de Levanto*, & alia. Flumina hic sunt *Varus*, qui Limitem statuit inter Provinciam & Liguriam: hanc Italiæ, illam Galliæ regionem. Recipit hic, qua Occidentalior ejus ripa & Gallica Fluvios, qui vulgo Gallorum audiunt *Caremp*, *Lavaire*, *Esteron*: qua Orientalior & Italiā spectans, *La Lince & La Vesubie* Sequuntur inde per Liguriæ littora *Paulon*, hodie *Palion*: *Rutuba* hodie *Rotta*. Sunt item *Merula*, *Porzevera Ferisano*, *Lavagna*, *Maera*, *Magra* hodie. De Administratione autem Ecclesiastica apud Merc. in hac Tabula hæc leguntur: Archiepiscopus *Taurinensis*, cui subsunt *Casalensis*, *Salutiarū*, *Montis Regalis*, *Novariensis*, *Lodensis*, *Vercellensis*, *Ipporegiensis*, *Actensis*, *Aquensis*, *Albensis*, *Terdonensis*, *Saonensis*, *Albingaunensis*, *Vintimeliensis*, *Placentinus*. *Papiensis*, Mediolanensi Archiepisc. subjecti. Archiepisc. *Ianuensi* subsunt *Bobiensis*, *Aprumacensis*, vel *Brumacensis*, *Metenensis* vel *Maranensis Acoiensis* vel *Ampruniacensis*, *Nubiensis* in Corsica sive *Nebiensis*. *Naulensis*, *Albigaunensis*, *Arbenga* credo, inter suffraganeos Mediolanensis Archiepisc. recensitus.